



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae**

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

Lazivm Falso Habsbvrrios Austrios à Sigeberto deducere, & falsus confirmare. §. iij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38372**

LAZIVM FALSO HABSBVRGBIOS

Austrios à Sigeberto deducere, & falsus confirmare

§. IIII.



**N**SVDAVIT plurimum Lazius, sed frustra, in commentarijs Austriacae Familiae, ut opinionem à se nouiter excogitatam de nescio quo Sigeberto, qui tamen ut omnium ferè est opinio inter viuos nunquam connumeratus est, aliquo fundamento solido stabiliret; quod cum non posset, Comites Habsburgos nunc ab ipsis Regibus Franciae per suum Sigebertum deriuat, nunc vero per lineam Atticonis Comitis, Leuterici cuiusdam filij, propagat: egregieque in prima sua sententia impingens, vix septimam generationem attingit, cum loquens de Ramprechtò, siue Reynperto, quis eius pater fuerit ingenue fatetur comment. lib. I. cap. 6. sic inquit: Ramprechtus igitur, à maiestate laudis sic gentilitia lingua nuncupatus, quem alij Reynpertum, & Reynprechtum vocant, siue Hettoprechtii filius extiterit, siue Liuthfridi Comitis Sundgouienfis de genere S. Otiliae, à Comite Habsburgense adoptatus, in possessionem equidem missus est omnium eorum, quæ cum Habensburgenses, per Herciniam Siluam in Brisgouia, & Iura monte, tum vero Atticonis Ducis posterì in Alsatia, obsequio im-

im-

imbuta habuerant prædia, &c. Et infra: De cuius rebus gestis ac matrimonio nihil reperi. Adderet quoque, & de filio quem Guntrammum appellat, nam si res gesta patris eius, ac matrimonium obscurum, proculdubio & filij. An non ei & Sigeberti primi Habsburgicæ lineæ patris, filius obscurus? quem aliquando Sigebertum, quandoque Theodebertum, aliquoties, Ottobertum appellat? & prorsus nesciens quid dicat, eundem Theodebertum, loco citato, quis fuerit ignorare se dicens, ipsi omnino accidit, quod & quibusdam alijs, qui affectibus obcæcati, pro veritate, quam promittunt, Lectori sua commenta obtrudunt, ut facit hic Læzius, qui Theobertum nunc patrem, nunc fratrem Ottoberti, necnon & quandoque ipsius Sigeberti sui exulis filium facit. Assertionis huiusce suæ causam velut ex eventu reddunt nonnulli eius defensores, qua serum fuisse dicunt inter Germanos litterarum usum, & idcirco primos istos rerum Germanicarum Scriptores maiores suorum origines dubijs, & fabulis plerunque condidisse; cum præscriptum nullum haberent, quo coargui possent. Atqui horum censorum plerosque ego non tam ad veteres fabulas conuellendas, quam ad condendas novas proficere deprehendo: Nam quod consilium huic instituto magis idoneum excogitare possis, quam ut luxanda alterius fide tuam stabilias? Quod si inter veteres aliqui reperiuntur fabulosi, an igitur inter recentes inveniuntur nulli? Si autem utrobique, & boni sunt & mali, utrobique nimirum delectus habendus est, ut nec

reij-

reijciatur aliquid temere, nec recipiatur; sed tantum fidei quisque obtineat, quantum argumentorum soliditate meretur. Cum igitur non Scriptorum tantum auctoritate, sed ipsa rerum Veritate sit ponderanda fides in Historijs, nemo Lazij praiudicio moueri debet, qui non probat id quod dicit: nec enim sufficit magnis conuicijs, & cachinnis veluti fabulas exagitare, nisi dictis praesto sit legitima ratio. Iam vero qualis sit illa Lazij audiamus, qui in epistola dedicatoria suorum commentariorum sic egregie, vt non dicam false, adinuentum suum ex Gregorio, & Aimonio comprobare conatur. Quorum quidem, inquit, Turonensis haec nominatim adnotauit: Eo tempore Childebertus Rex Austriae habebat duos filios, seniore ex concubina nomine Theobertum, iuniorem vero ex Regina nomine Theodericum, ipsumque cum Auia sua Brundehilde, in Burgundiam, in Regnum Guntrami Regis magni direxit. Brundehildis vero quotidie peiora consilia ipsi Theoderico ministrabat dicens; quare negligis, & non requiris Thesaurum patris tui, ac Regnum eius de manibus Theoberti vindicas, cum scias eum non esse fratrem tuum: quia in adulterio de concubina patris tui natus est? Haec audiens Theodericus, fero vt erat corde, magnum exercitum contraxit contra Theobertum germanum suum dirigens ad Tolbiacum Castrum. Vbi fortiter pugnantibus, Theobertus laesum cernens exercitum suum,

suum,

suum, in fugam conuersum, Coloniam Ciuitatem ingreditur. Et rursus Theodericus, cum peruenisset Tolbiacum, cum exercitu Arduennam transiens; Theobertus frater eius, cum Saxonibus, Thuringis, ac cæteris gentibus, quas poterat vndique ultra Rhenum adunare contra Theodoricum, Tolbiacum perrexit; ibique de nouò commissum est prælium. Fertur autem à Francorum, cæterisque gentibus antiquitus tam fortè nec aliquando prælium fuisse cœptum. Illic quoque tanta strages ab utroque exercitu facta est, vt phalanges initio certaminis inuicem preliabantur, vt cadauera occisorum vndique non haberent, vbi iacerent, sed stabant mortui inter cadauera cætera stricti, quasi viuentes. Captus est Theobertus in ipso prælio, & victus Chabilonem destinatur: Filius eius Merouæus paruulus, iussu Theodorici adprehensus, ad quandam petram percutitur; qui cerebro confuso, ac capite fracto, emisit spiritum. Sigebertus verò filiorum maximus quorundam consilij reparatis viribus in Territorio Campaniæ Catelaunensis agri super fluuium Coxonam veniens, cum Theoderico simul, & Chilperico certans, superatus aufugit.

*Deinde profequitur:*

Quorum exordia luculentius paulò, ab eodem

Si-

Sigeberto, similiter vt Turonensis, Annonius etiã  
antiquissimus Franchorum Chronographus repe-  
rit his verbis: Theobertus autem Rex miserabili  
morte peremptus, tres filios, & vnã, (vt legitur)  
speciosissimã filiam reliquit: Sigebertum vide-  
licet, Guntramum, & Lotharium, nomen filiã nun-  
quam reperi. Rex verò Theodericus Coloniam  
ingressus, præscriptos duos filios iuniores fratris,  
Lotharium, Guntramum, & sororem eorundem,  
ad Ciuitatem Metensem captiuos misit. Quibus  
crudeliter Auia Brunehildis occurrens, nimio  
succensa furore in odium genitoris occisi super  
eos irruit, & nepotes adhuc paruulos manu pro-  
pria interfecit. Sigisbertus autem natu maior,  
Theoberti filius quorundam Ciuium Coloniae au-  
xilio submissus per murum secretissimè transmis-  
so Rheno, in habitu scolaris aufugit: veniensque  
in Franciam Orientalẽ, apud cognatos suos Gun-  
doaldum, & Gotofridum Duces Francorum, cir-  
ca mœnum in Vuicizburg, Principantium, aliquot  
annis latuit incognitus. Qui tandem post obitum  
Regis Theoderici, principum interuentu, Ducatu  
in Alemania Superiore, quę nunc dicitur Transiu-  
ram, donatione Lotharij Regis accepit; sed neq;  
nomen Regni, nec Diadema portare, more paren-  
tum suorum permissus est, & mansit sub Ditione  
Regum Francorum, genuitque filium nomine  
Patris sui Sigebertum.

Hactē-

Haecenus Lazius, non ex Gregorio Turonensi, aut Aimonio Monacho, sed ex sua adinventione locutus est: qui ut furtum suum callidè cœlaret, viamque intercluderet fraudis agnoscendæ, citationem librorum & capitum, ubi hæc reperirentur astute omisit, quam aliquo postmodum colore cooperire volens, quadam alia ex Aimonio de verbo ad verbum accepta recitat. Et diligenter ubi hæc reperiantur, lib. 4. scilicet cap. 6. diligenter annotat. Sed mihi hunc Lazij locum sæpius relegenti, nunquam subolevit hæc techna, proinde quare eius vestigijs non insistam, duplex me occasio impulit. Primum, ut Gregorium Turonensem, & Aimonium Monachum à maculis vindicarem; deinde ut fontem obturatum referarem, ex quo pendet vera ratio de origine Habsburgie gentis, cum illud ad familia Anicie Benedictina illustrationem necessarium sit. Quam indignum autem sit personis Gregorij, & Aimonij, credulitate lectoris occupati ad hunc modum abuti, indicabunt alij. Discant autem hinc exemplo Lazij, qui veritatem quaerunt, non temerè aliunde citatis auctorum testimonijs fidei, sed fontes ipsos inspiciant, cum Lazium, si scriptor serius esset, sui meritò pudere deberet, qui quorundam aliorum allegationibus confusus, vel certè, ut lectori illuderet, Turonensem & Aimonium non inspexit, nec legit, Et proinde hic turpissimè erravit. Quod proinde factum Lazij, ob singularem, ac præsentem absurditatem, equidem non video quam alia ratione excusari possit, quam ioco, quo errores alienos, siue proprios, quasi

quasi per Antiphrasim tuetur. Quod igitur hic Laxius,  
ut & alibi aduersus alios nugatus est, cum nec uerbum  
quidem eorum quaerit apud Aimonium, & Turonen-  
sem legantur, id neque Lectori sano credendum, neque no-  
bis refellendum est, utpote quod in opere ioculari non do-  
cendi, sed delectandi Lectoris gratia lusum est. Alioqui  
enim quis hominem quenquam, nedum Laxium, tam im-  
pudentem fore credat, ut serio cunctis penè Historio-  
graphis fidem adimeret, sibi soli assereret, etymologijs  
fermè ubique sua probaret; quibus etiam rectis, ac sin-  
ceris, nedum commentitijs, & ex populari lingua consti-  
tis, nunquam uir modestus ullus multum tribuit: ea  
deniq; negaret, quae omnes probant; & assereret quae om-  
nes negant? Ex his Lector uidet quò studio Laxius  
uersetur in celebranda Illustrissima ac Nobilissima Fa-  
milia Habsburgica, eo nimirum, ut tu dubites, utrum  
ne de Habsburgijs, an de Germanis suis peius mereatur.  
Habsburgios enim proceres ab impurissimo Spurio Theo-  
deberto, eiusque filio Sigeberto exule propagat; & le-  
gitimis ipsos natalibus priuans, etiam patriam suam  
gloria, & uirtutis elogio spoliat. Auctoribus suis in-  
terim, quorum testimonia falsa ostentat, vim ac frau-  
dem facit. Aimonium namque transuersim abripit,  
cui si acquiesceret, Habsburgios Comites natalium legi-  
timorum gloria non priuaret. Gregorium Turonen-  
sem obtorto collo trahit, apud quem cum Sigebertus nul-  
lus Theodeberti filius exstet, confidentissime, imo, &  
falsissimè, dicit de Sigeberto illo exule illum loqui.

Quod



Quod quam à veritate sit alienum, sola temporum ratio apertissime demonstrat. Nam cum Gregorius mortuus referatur anno Domini 594. non potuit de morte ipsius Theodeberti Regis quicquam scribere, cum ipse Theodebertus, filijque eius Sigebertus, & Corbus, occisi sint, omnium consensu, anno à morte Gregorij vigesimo secundo transacto, id est Christi 617. Nec auctor Appendicis ad Gregorium, qui alioquin fuse & diligenter mortem Theodeberti, & filiorum eius Sigeberti, & Corbi pertractat, quicquam de hoc Sigeberto exule proloquitur. Valeat igitur auctoritas Lazij, apud illos, qui commentis eius legendis delectantur, audiantque non meam, sed eius compatriotæ de eius diligentia querelam; is est Ioannes Pistorius Nidanus S. Theologia Doctor, qui in Epistola præfixa Familiae Marchionum Thuringia, sic loquitur: *nam Lazij indiligentis, & in his rebus planè ieiuni, & inconsiderati scriptoris auctoritas, quæ ad pingendam ineptam certè sententiam adducitur, pondus omnino nullum habet; qui vix vnam Germanicam Familiam, sine vitio tradidit; qui in isto argumento, & in vniuersa illa tractatione, nullo cum studio versari laborem suum, & nulla cum cura voluit, &c. Et paulò post:* Satis iam, & quid ego de hac re sentirem in medio proponere, ad exacuandam Doctorum hominum diligentiam, & ad paulatim iterum antiquandam opinionem, quæ nullis radicibus inni-

xa, longè lateque progressa iam esse videtur, & procederet profecto multo longius, nisi gladio vetustatis iugulata, supprimeretur. Qua de causa genealogiam in hoc libro, quanquam prope modum in alieno loco, & primo statim aditu, sententiam meam paucis verbis adscripsi, ad excitandos illos, qui contra me sentiunt, & ad errorem eripiendum, qui in aliquot libris inspersus, multorum iam animos occupavit. *Hæc Nidanus, qui multum laudandus est candoris, ac diligentia: Diligentia quidem, quod sciens ac volens nihil omiserit eorum, quæ ad decus & honorem patriæ suæ Germaniæ indagare potuit: Candoris autem, quod Lectori fucum facere noluerit, ut fecit Lazius, obtrudendo falsa pro veris. Sed multò magis exosculanda est ingenuitas Francisci Belforestij, qui Gallus cum sit gloriarique deberet Illustrissimam Familiam Austriam, ex Francorum Regum sanguine propagatam fuisse, profitetur tamen se nihil inuenire pro genealogia Habsburgica, quod satis ex fide à Lazijs putet esse traditum; ex cuius verbis intelligitur cognoscere hætenus eum, quod non veris rationibus, sed probabilibus tantum coniecturis Lazijs fulciatur. Sed iam quid dicat in magnis annalibus Franciæ, lib. primo, cap. 29. audiamus.*

Telle fut (inquit) la fin du miserable Roy d'Austrasie Theodebert, & des enfans yssus de sa race. Et d'autant que j'ay dit que Sigebert fut sauue, il fault aussy qu'il eut quatre filz, ascauoir, Sigebert,

D  
Non.

Vite

gebert, Contran, Clothaire, & Merouè; les trois  
desquelz furent massacrez par Brunehault. Et il  
fault scauoir que deuint le quatrieme, suiuant  
l'opinion des bastisseurs de la famille des Prin-  
ces Roiaux d'Autriche. Surquoi ie vous alle-  
gueray Vuolphange Lazie, qui (au liure. 1. des  
commentaires d'Autriche) en parle en ceste for-  
te, faisant mention des Ducs Austrasiens foubz le  
Roy Clothaire, second de ce nom. *Post hac,*  
*verba ipsius Lazij interserens, sic profequitur:*  
Vous oyez quelle est l'opinion de Lazie sur ce  
Prince, & sur ceulz de sa famille, quoy que tout  
les anciens (comme Irenicque lib. 3. de la Ger-  
mania chap. 34.) tiennent d'un commun confen-  
tement, que tout les filz de Theodebert, furent  
occis par Theodoric, qui ne vouloit laisser aucun  
qui peut venger sa mort. Ce qui fera penser à  
pluiseurs que Lazie, & aultres autheurs moder-  
nes s'en sont vouluz faire à croire, sans auoir fon-  
dement de l'ancienneté, sur lequel ilz assure-  
sent leur dire, puis qu'il ne se lyt point es anciens  
chose aucune de ce Sigebert, ny de sa fuite en  
Franconie. Toutefois affin qu'on ne pense  
que ie veuille du tout reietter ce qu'ils escriuent,  
& comme ilz establisent l'anciennete du sang  
Austrien, pour le tirer de celui des Merouinges,  
ie vous en allegueray le discours de genealogie  
telle qu'ils la paignent, vous aduertissant neant-  
moings

moins de croire que ce n'est pour chose asse-  
urée que ie vous donne ce discours; veu que ce-  
ulx mesme qui en ont esté les auteurs, n'osent  
dire, quel fut ce Duc Sigebert, & qu'il y en a qui  
dient que ce Merouè, que nous auous dit auoir  
esté tué par Brunehault, fut celuy qu'on sauua du  
massacre, & lequel depuis donna commencement  
à ceste famille Austrienne. D'autres le prennent  
du temps des Carlouinges, & tiennent que Grif-  
fon frere de Pepin le brief estant fait Duc, &  
Seigneur au pays Bourguignon, & ayant douze  
Contez, ou à present sont les Suisses, donna aussy  
origine à la maison des Marquiz de Habsburg.  
Lesquelles sy grandes diuersitez, rendent l'Hi-  
stoire du tout supecte, & douteuse. *Hæc Belfo-  
restius, qui in Latinum translatus in hanc videtur loqui  
sententiam.* Tali morte (inquit) miserabilis Rex  
Austrasiæ Theodebertus, eiusque filij vitam suam  
finierunt. Et quoniam Sigebertum mortem eua-  
sisse dixi, inferatur necesse est, Theodebertum  
quatuor filios habuisse, videlicet, Sigebertum,  
Guntrannum, Clotharium, & Merouëum: quo-  
rum tres Brunichildis iussu necati fuerunt, quar-  
tum autem excogitauerunt ij, qui suapte opinio-  
ne principum Regalium Austriæ, originem sunt  
commenti; qua de re citabo Vuolfgangum La-  
zium, qui mentionem faciens Ducum Austriæ sub  
Rege Clothario, huius nominis secundo, lib. 1.

commentariorum Austriacorum, loquitur in hūc  
sensum. *Recitatis autem ipsius Lazij verbis, sic subi-*  
*sequitur Belforestius:* En tibi quam opinionem de  
hoc Principe, & ipsius familia Lazius habeat.  
Quamuis veteres omnes Historiographi, vnanimi  
consensu teneant, Theodeberti filios omnes occi-  
sifos fuisse, ne quis superesset, qui mortem patris  
vltisci posset. Quamobrem Lazius, & alij recen-  
tiores auctores, multis in suspicionem venient,  
quod ea persuadere voluerint, quæ antiquorum  
auctoritatibus tueri, ac probare nequirent, cum  
in antiquiorum scriptis, nihil prorsus contineatur  
de hoc Sigeberto, neque legatur in Franconiam  
fugisse. Tamen ne videar omnino respuere quod  
ipsi scribunt, atque quod sanguinis Austriaci anti-  
quitatem, Merouingorum stirpe astruunt, genea-  
logiæ seriem, prout ab ipsis introducitur, adscri-  
bam: ita tamen vt te præmoneam, ea quæ ab ijs  
de hac re scribuntur, non esse solida ac probata  
fidei, tum quod & ipsi, qui ea conscripserunt,  
quisnam fuerit ille Sigebertus Dux, declarare non  
audeant, tum quod non desint qui dicant Mero-  
ueum, quem à Brunichilde interfectum diximus,  
hunc fuisse qui ab occisione subductus est, & po-  
stea Austriacæ familiæ principium dedit. Alij  
Familiam Austriacam Carlouingorum tempori-  
bus exortam scribunt, asserentes à Griffone Pipi-  
ni Breuis, Regis, fratre, Marchiones Habsburgiæ  
pri-

primum fluxisse postquam nimirum idem Griffio,  
qui duo decim Comitatus habebat in ea regio-  
ne, ubi nunc sunt Heluetij, Ducatum, & Domi-  
nium in Burgundos obtinisset. Quæ adeo ma-  
gna sententiarum diuersitas Historiam, & suspe-  
ctam, & planè dubiam reddunt. *Hactenus Bel-  
forestius. Ex his igitur, & consimilibus argumentis  
abundè patet, Habsburgios Comites, neque originem  
suam à Pharamundo Rege, neque à Sigeberto illo exu-  
le, qui nunquam fuit, nunquam deduxisse; Vt tamen  
omnia clariora reddantur, consarcinatorum huius cla-  
rissimæ Familie genealogiarum prototypos hic subiunge-  
mus, ut vel ex illis saltem elucescat, quam stulta  
fuerit illorum credulitas, qui veritate reiecta, falsita-  
tem sunt amplexati. Et Lazij quidem duplex opinio  
hæc est.*

Primā opinio Lazij,  
quam sequitur auctor  
Genealogici, & alij  
nonnulli.

Pharamundus Franciæ Rex.  
|  
Clodius Franciæ Rex.  
|  
Meroneus Franciæ Rex.  
|  
Childericus Franciæ Rex.  
|  
Clodoveus Franciæ Rex.  
|  
Clotharius Franciæ Rex.  
|  
Sigebertus Austrasiæ Rex.  
|  
Childebertus Austrasiæ Rex.  
|  
Theodebertus Austrasiæ Rex,  
Nothus.  
1. Sigebertus, seu Sigisbertus exul.  
2. Sigisbertus Theodobertus.  
|  
3. Otbertus  
|  
4. Bebo  
|  
5. Robertus, seu Rotherius  
|  
6. Hettopertus.


Alia opinio Lazij, quam  
sequitur Michael Eysin-  
gerus in Thesauro Prin-  
cipum, & multi recen-  
tiorum.

Pharamundus Franciæ Rex.  
|  
Clodius Franciæ Rex.  
|  
Meroueus Franciæ Rex.  
|  
Childericus Franciæ Rex.  
|  
Clodoveus Franciæ Rex.  
|  
Clotharius Franciæ Rex.  
|  
Sigebertus Austrasiæ Rex.  
|  
Childebertus Austrasiæ Rex.  
|  
Theodobertus Austrasiæ Rex.  
|  
1. Sigebertus exul.  
|  
2. Otbertus, seu Theodebertus  
|  
3. Bebo, siue Bobo.  
|  
4. Rupertus, uel Otbertus.

- |  |                                    |
|--|------------------------------------|
| 7. Rampertus, cuius filius sit iste<br>profiteretur se nescire,<br>lib. 1. c. 6. | 3. Rampertus, siue Amprintus.      |
| 8. Guntramnus.   | 6. Gostramus.                      |
| 9. Luithardus.   | 7. Luithardus.                     |
| 10. Luitfridus.  |                                    |
| 11. Hunifridus.  |                                    |
| 12. Guntrammus. II.  |                                    |
| 13. Berzo, seu Bezelinus.  | 8. Berzo.                          |
| 14. Rapato, seu Rapoto.  | 9. Rapoto.                         |
| 15. Vuernerus, siue Berengarius.   | 10. Vuerengarius, seu Berengarius. |
| 16. Otho.  | 11. Otho.                          |
| 17. Vuernerus.   | 12. Vuernerus.                     |
| 18. Albertus diues.  | 13. Albertus diues.                |
| 19. Albertus sapiens.  | 14. Albertus sapiens.              |
| 20. Rodulphus Imperator.   | 15. Rodulphus Imperator.           |



Ioannis Trittemij Abbatis opinio prima  
in Breuiario Chronicorum  
Franciae.



Ioannis Trittemij Abbatis opinio secunda  
 in eodem loco Chronicorum  
 Franciæ .

Theodebertus Austrasiorum  
 Rex.

Sigebertus — Engeltrudis,  
 Heriberti Ducis  
 Francorum Orient-  
 alium filia .

Odobertus, Habsburgi,  
 Kiburgi, & Sueuorum  
 Comes, a quo Comites  
 Habsburgi.

Guntramus Comes  
 in Hunburg.

Theodebertus  
 Rauracorum  
 Comes.

Vdalricus Comes.

S. Ottilia Virgo,  
 & Sanctimonialis.

Ioannis Tritemij Abbatis, opinio 3. quam adfert Lazius  
Commentariorum in Auftriacam familiam, lib. 1. c. 5.

Theodebertus Rex occisus a fratre.

Sigebertus exul, fugit ad  
cognatos Gundaldum,  
& Gotofridū, & fit pri-  
mus Alemannia Dux.

Theodebertus  
Comes Prouincię.

Sigebertus, sine Sigobertus  
uel Sigoprechtus.

Ottbertus, seu — Luitberga filia  
Ottoprechtus. — Gunzonis.


Guntramus  
occisus a Parruo.

Lotharius  
Theodorico.  
N. Filia.

Hieronymi Gebuilheri opinio, lib. 2. de Genealogia Ferdinandi Imp.

Leutericus, sine Leudifus — Berfchuunda, foror S. Leodegarij Epifcopi.

Artico, sine Arto, Alfaria Princeps.



Adalbertus quidam, qui uocatur a Gebuilhero, nunc Articonis filius, nunc autem, eius ex Hectrone fratre nepos, cuius filij.

Ottobertus. — Hugobertus. — Theobaldus. — Eberhardus.

Adoptati sunt a Luythfrido Comite Habsburgenfi, ut ipfi faccederent.

Et paulò post Raympertus alius, cuius patrem se ignorare dicit; fertur a Luythfrido adoptatus, & primus Habsburgi Comes factus.

Iacobi Spiegelij opinio lib 1 2. comment. in Aufriados:  
 quæ est & Manlij, ac Sundhaymij.

Chilpericus Franciæ Rex — Andouera Regina.

Bertruda — Theodoricus

Dagobertus

Franciæ, Bur-

gundiæ, & Au-

strasiæ Rex.

Burgundiæ Rex

Batildis

Saxona.

Clotharius III.

Franciæ Rex.

Othobertus

Rex Prouinciæ.

Othobertus,

primus Habsburgi

Comes.

Merouerus

Prouinciæ

Rex.

Clotharius II.

Rex Franciæ.

Quamquam autem ex Genealogijs propositis in gene-  
re facile perspiciatur frivola esse, quae Auctores supra-  
dicti pro suis Habsburgijs in medium protulerunt, ta-  
men quo evidentius id appareat, omnibus separatim re-  
spondebimus. Et Lazius quidem sibi ipsi non constans,  
nunc illius Familia, à Sigeberto ad Rodulphum Impe-  
ratorem, gradus viginti constituit; nunc vero quin-  
que reiectis ad quindecim illam restringit. Nec multò  
verior est Tritemius, qui contra omnium Historicorum  
fidem, Guntramo Regi filios duos Theodobertum, &  
Theodoricum assignat, cum Guntramus liberis masculis  
caruerit, Clothario, & Clodomiro in pueritia extinctis:  
& Theodobertus ac Theodoricus non ipsius, sed Childe-  
berti Austrasiae Regis filij fuerint. Deinde quos Odo-  
berto Sigeberti filio, filios attribuit in prima opinione;  
bos in secunda ipsi Sigeberto exuli consignat, Adalberto  
prioris sententiae, in Theodobertum mutato. Nec de  
primo Habsburgi Comite consentientia profert, in pri-  
ma namque sententia Luthfridum Odoberti filium, al-  
terius Odoberti nepotem, ac Sigeberti exulis pranepo-  
tem, primum Habsburgi Comitem agnoscit; in secun-  
da autem Odobertum, ipsius Sigeberti exulis filium. Et  
ut in his erravit, ita & in patre S. Odilia, contra alio-  
rum opiniones, non modicum hallucinatus est. De alia  
eius opinione quam ex Lazio attulimus, cum unde il-  
lam acceperit Lazius non dicat, nil loquor. Hierony-  
mus Gebuilerius de genealogia Ferdinandi Imperat. qui  
singularis videri voluit, & in Familia sua textura

non.

nonnullos non contemnendos sequaces habuit, à nobis quidem haecenus, nec visus, nec lectus est; at si vera sunt quae Lazius ex illo refert in epistola dedicatoria Commentariorum suorum in Genealogiam Austriacam; & lib. 1. c. 1. & 6. non multo consentiora praedictis adferre videtur; cum in illa epistola dedicatoria à Luitfrido Comite, Adalberti filio; & in lib. 1. c. 1. ab Ottoberto, & fratribus, filios Adalberti (quem Adalbertum nunc Attonis Alsaciae Comitis filium, nunc nepotem ex Hettone fratre nominat) à Luitfrido Comite adoptatos, & cap. 6. à Raymperto, cuius genus ignoratur, Luitfridi Comitis filio adoptivo, Habsburgios Comites propagatos referat. Superest, Iacobus Spiegelius, qui solus sapere videri volens, omnium insipientissime scripsit, qui si diligentior non est in asserenda nobilitate Germanica, quam extollere conatur, ut Italicam deprimat, quam est in Habsburgica Familia comprobanda, non est cur multi auctoritatem eius faciamus. Quae adeo frivola est et ieiuna, ut omnino indignam censeamus, cui à quoquam respondeatur. Vir enim historiarum, & familiarum ignarus cum esset, ut haec eius familiae sua consarcinatio probat, non potuit historijs, & genealogijs consona scribere; sed prout affectus eius ferebatur; nullo temporum, aut personarum habito delectu, ut insipienter scripsit, sic etiam stolide nobilitatem omnem Italicam auita antiqua nobilitate priuatam, ad suos Germanos transferre conatus est, cum potius è conuerso, Germanicam ex Italica asserere debuisset. Nam, ut exempla ali-

quot


quot inmedium proferamus, quis Illustrissimam quon-  
dam Guelphorum Familiam, ex qua Duces Bauariae, &  
Saxonia Electores, necnon, & moderni Luneburgi, &  
Brunsvigae Duces Electores quoque prodeunt, in Ger-  
maniam intulit, nisi Azo eius nominis IIII. Estensis,  
& Ferrariae Marchio, anno Domini circiter 1060. ex  
nobilissima, & antiquissima Actiorum Familia Romana  
progenitus? Quis Aescaniam Ballenstendam secundam,  
unde Marchiones Brandenburgij Electores hodierni, &  
Duces item Saxoniae Electores, necnon & moderni Prin-  
cipes Anhaltini, originem ducunt, in Germania planta-  
uit: nonne Aribertus ex Ursinorum Romana Familia,  
quae Gallicam originem trahebat (licet aliqui contraria  
nonnulla adferant) procreatus? Marchionum Hoch-  
bergiorum, unde recentiores Badenses, patrem, nonne  
& ipsi Germani agnoscunt Hermannum Keronensem,  
qui anno circiter 1156. cum Imp. Friderico Barbarossa  
Germaniam intrauit? Brandenburgij item, qui nunc vi-  
vunt, Marchiones Electores, qui à Zollerijs Comitibus  
originem ducunt, nonne & ipsi à Petro Columna Domi-  
cello Romano anno circiter 1080. se progenitos gloriantur?  
Austrios quoque Principes, à Comitibus Habsbur-  
gij Perleonibus Romanis exortos, confirmare solebat  
Maximilianus Caesar, Caroli V. Imp. avus. Et mul-  
tae aliae Familiae in Germania illustres referuntur, quae  
ab Italiae nobilibus Familijs lineam consanguinitatis du-  
cunt: quod non ita evenit Germanis in Italia, ex qui-  
bus nullae aliae, quae Illustres sint dico, praedicantur, praeter

ter



ter Allobrogica, & Mantuana, licet de ea quoque à non-  
nullis controuertatur, sicut & de Montferratensi, quam  
quidem Germani Saxonibus tribuunt, sed ab Italis de-  
scendere egregie prodit Thomas Porcacchius in Historia  
Familia Malaspina. Nec miretur quis, quod ego in na-  
tiuitatis origine nihil commune cum Italis habens, hanc  
pugnam pro eius nobilitate tuenda susceperim, gratitudi-  
nis enim ratio id exigebat, ut pro caritate quã mihi pro  
fide Christi exuli in habitatione & alimentatione huma-  
niter exhibet, hanc palestram pro eius defendenda cau-  
sa, contra tam inuidum amulum non detrectarem. Et hæc  
pro primo Spiegelij argumento. Ad secundum, genealo-  
giam eius videlicet, unico verbo respondendum foret ip-  
sum nescire quid dicat: Historicos enim nescit, ordinem  
nature confundit, ipsos Franciæ Reges ignorat, & alios  
qui nunquam fuerunt nobis obtrudit, ut varietate sua  
Lectoris ingenium confundens, solus ipse verum dicere  
videatur. Theodicum enim Burgundiæ Regem, Chil-  
deberti Austrasiæ Regis filium, Sigeberti Regis Austrasiæ  
nepotem, & Clotharij I. Regis Franciæ pronepotem; Chilpe-  
rici Franciæ Regis ex Andouera matre filium confingit,  
& Dagoberti Franciæ Regis, ex Berthrada uxore, pa-  
trem, qui tamen Clotharij II. ex præfata Berthrada fi-  
lius fuit. Clotharium item III. eiusdem Theodoricæ, ex  
Batilda Saxona filium facit, cum ipse à Clodoueo II. ex  
Batilda prædicta fuerit progenitus. Othobertum quen-  
dam, Prouinciæ Regem, eiusdem Theodoricæ filium ex  
præfata Batilda scribit, eumq; alterius Othoberti primi  
Habf-

Habsburgij Comitum patrem: cum tamen de eiusmodi  
 Othoberto Provinciae Rege historia muta sit. Et ut  
 unico exemplo hac eius techna conspiciatur, verum  
 Regum Franciae prototypum omnium historicorum con-  
 sensu comprobatum hic subiungemus, ut qua veritate  
 Spiegelus scripserit agnoscatur.



His ita distinctis & declaratis , intelligi non difficulter potest in praesenti controuersia , quid peculiaris Lazij , quid plerorumque Germanorum communis error sustineat , quid veritas ipsa dicat de Illustrissima Familia Habsburgica , & eius fundatore Sigiberto exule . Manifestum est namque Lazium , & eius sequaces , non alio tendere , quam ut Habsburgij Franco Germani credantur , eosque antiquissimos Auendi Castri Romarici montis Dominos fuisse doceant ; quo tacite diluant opinionem de aduentu duorum fratrum Perleoniorum ex Roma , de quibus infra ex professo tractabimus , quod proinde , ut obtineant , omnibus modis obscurare ac tollere nituntur notitiam castri Habsburgij Ergouiani . Sed cum sine ratione , sine teste , figuli hisce noui , id dicant , pari facilitate contemni debent , qua quiduis negare , quiduis affirmare , addo etiam & confingere ausi sunt .